

Georg Mejer Georgius Fabricius


Disputatio XVI. Collegii Metaphysici : De Deo

Rostochii: Myliandrus, 1610

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729124762>

Druck Freier  Zugang






51

R. U. phil. 1609. 10.

12 916

35 1717





DISPUTATIO XVI.
COLLEGII METAPHYSICI
DE
DEO

Quam

AUSPICE CHRISTO
In alma Rosarum Academia

PRÆSIDE

M. GEORGIO MEIERO

Duderstadt. Sax.

Defendendam suscipiet

GEORGIUS FABRICIUS
Slesvicentis.

Ad diem 24. Octobr. horis pomeridianis.

ROSTOCHII
Ex Typographia Stephani Myliandri
Anno c15 15 CX.

EX
BIBLIOTHECA
ACADEMIAE
ROSTOCKIENSIS



DE DEO.

Theorema I.

De Deo haud perperam agitur in Meta-
physica.

His, prout in decem categoriis dividitur, consi-
deratum fuit haecenus a nobis, finitum scilicet
in finitum sequitur, Deus ter Opt. Max. de
quo hac in disputatione, in quantum quidem luce
natura cognosci potest, verba facturi sumus, ple-
norem eius cognitionem ad S. S. Theologiam
reijcientes.

11. Quamvis vero cognitio Dei naturalis exigua sit, & ad
eam, quam sacra nobis produnt oracula collata, ignorantia potius,
quam notitia dicenda sit: non tamen penitus negligenda est, pra-
sertim cum ab ipso etiam gentium Doctore Rom. 1. maximopere
commendetur. Sunt quidem, qui nefas esse ducunt, si de Deo quic-
quam in Metaphysica praecipatur, in ore semper habentes illud,
non ex natura: sed scriptura cognitionem Dei hauriendam
esse. Verum quanquam haud inficiamur, cognitionem Dei su-
pernaturalem, animabus nostris, qua salutem affert, ex sola sacra
scriptura petendam esse: tamen naturalem, qua ex natura ha-
beri potest, non propterea abijciendam censemus, cum quod Me-
taphysica agat de omni Ente, atq; sic de Deo etiam: tum quod
Ethnicis id Metaphysica fuerit, quod nobis est Theologia. Quare
etiam ab Aristotele non uno in loco Θεολογική appellatur: à scho-
lasticis vero Dd. Theologia humana, sive naturalis.

Theorema I I.

Ens de Deo & creatura non univocè, sed analogicè prædicatur.

Magis enim Deus dicitur Ens, quàm creatura, quia Ens per prius competit Deo, per posterius creatura. Omne enim Ens aut est à se, aut ab alio, Scalig. exer. 6. sect. 1. Omne quod est, aut est primum principium, aut à primo principio: Unum est primum, alia dependent, Scalig. exer. 307. sect. 20. Ens quod est à se quod primum; quod independens, Deus est: quod est ab alio; quod dependens; creatura est. Ens vero quod est à se, primum & independens, magis est Ens, quàm quod ab alio dependet. Præterea non habent Deus & creatura naturam communem: Natura enim sive essentia creatura si conferatur cum natura & essentia divina, penè nulla est. Quæ vero non habent naturam communem, non possunt idem habere genus univocum: quia genus univocum omnibus speciebus ex æquo naturam suam & essentiam communicat.

Theorema III.

Deum esse, homini naturaliter notum est.

1. Notum est omnibus illud Ciceronis: Nulla gens usquam tam fera est & barbara, cujus mentem non aliqua Deorum imbuerit opinio. Item: Nulla gens est neq; tam immanis, neq; tam fera, quæ non et si ignoret, qualem Deum habere deceat: tamen habendum sciat, lib. 1. de Legib. Hoc si verum est, uti verissimum, homini naturaliter notum erit, Deum esse. Adhuc omnes homines tam pijs, quam impijs testimonio conscientie convincuntur, Deum esse. Pijs enim rectè factorum testimonijs in omni rerum vultu gaudent, freti divini Numini justiciâ & bonitate: Impijs vero à conscientia simulis cruciantur, etiamsi sciant, perpetratum scelus neminem in his terris punire, vel etiam.

etiam punire posse, qui sanè stimuli satis superq; edocent, alium
adhuc esse, qui sceleratos punire & velit & possit, quod ipsum
etiam ipse Paulus comprobat Rom. 2. v. 14. 15. & 16.

II. Verum reperti fuisse, multiq; adhuc hodie reperiuntur ho-
mines à Deo, qui omninò vel dubitant, vel negant Deum esse,
quare haud verum esse videtur, quod homini naturaliter insit
cognitio Dei: Naturâ enim quæ insunt, omnibus insunt.
Cui accedit, quod nullus articulus fidei homini naturaliter notus
esse possit. Deum vero esse, articulum esse fidei, quis ignorat?
non enim scimus, sed credimus in symbolo Apostolico Deum.

III. Caterum non negamus quidem dari homines extremè
impios, qui sic vitam instituunt, quasi Deus esset nullus, quiq;
haud verentur hac verba impietatis plena ex ore suo evomere:
esse scilicet neq; Deum, neq; Diabolum, hoc inquam non nega-
mus, sed eorum conscientiam idem statuere pernegamus: nam
ore licet securi, & ab omni pœna metu liberi videri velint: cor-
de tamen sunt pavidissimi, quia conscientia nunquam quiescit,
diris exagitata stimuli. Ad illud, quod obijcitur de articulis
fidei, respondemus distinguendo inter articulos, qui purè sunt ta-
les: & qui ex parte etiam luce naturæ cognosci possunt. Illi
nulli hominum naturaliter sunt noti: hi vero quodammodo, è
quorum numero sunt: Deum esse; Deum esse omnium rerum
conditorem; Deum esse unum. Quod itaq; Deus sit, natura-
liter notum est, & in cuiusq; corde scriptum reperitur. Quis
vero illa sit, & qua ratione, aut modo colendus, naturaliter no-
tum non est, sed ex sacra Scriptura cognosci debet.

Theorema IV.

Deum numero esse unum, naturaliter co-
gnosci potest.

Cum omnes ferè gentes, quotquot à vera Ecclesia Dei sepa-
rata fuisse, plures Deos coluerint, non immeritò de certitudine

hujus theorematís dubitari potest. Et quamvis negari non possit,
 quia Ethnici, qui pleriq; animum habuere pravú præjudicijs &
 affectibus, alijsq; curâ obcæcatum propter supinam negligentiam
 & obstinatam ignorantiam, pluralitatem Deorum introduce-
 rint: tamen ex principijs naturalibus Deum revera esse unum
 probari posse statuimus. Nam in omni subordinatione causa-
 rum tandem ad unam aliquam primam deveniendum est: In-
 causis enim non datur progressus in infinitum, quare stan-
 dum in una prima, à qua reliqua omnes motum suum habeant,
 qua est Deus, causa causarum, & Ens Entium. Idem agnoscit
 ipse Aristoteles, qui lib. 7. & 8. phys. ex motu in cognitionem Dei,
 primi motoris deductus fuit. Probat enim impossibile esse, in mo-
 ventibus progredi in infinitum, sed necessario dari aliquod movens
 primum immobile, à quo reliqua moventia omnia in natura vim
 movendi accipiant. Et lib. 12. Met. c. 10. expressè hæc verba le-
 guntur: ἐν μὲν ἀρχῇ καὶ λόγῳ καὶ ἀριθμῷ, τὸ πρῶτον κινεῖται
 ἀκίνητον ὄν. Et certè cum Deus sit infinitus, non possunt plures
 esse Dii, quàm unus. Si enim essent, vel essent finiti, vel infiniti.
 Sed finiti esse non possunt: sic enim non essent Dii, quia Deus est
 infinitus: neq; infiniti, quia si plura darentur Entia infinita, nul-
 lum esset infinitum: Infinitum enim quod dicitur, ratione essen-
 tia omnem determinationem, omnem separationem respuit. Jam
 vero si essent plura Entia infinita, nonnè unum ab altero determi-
 naretur, distingueretur, sive sejungeretur? Hinc rectè Scaliger:
 Nihil infinito æquale potest esse. Æqualitas enim est certa ra-
 tio mensura. At infiniti mensura nulla. Duo infinita nequeunt
 esse, neq; in natura, neq; extra naturam. Essent enim duo prin-
 cipia prima, exerc. 359 sect 3.

Theorema V.

Deum in personis esse trinum, naturali-
 ter cognosci non potest.

Hoc

Hoc in sacratissimo mysterio rationem nostram prorsus esse cœcam, fatemur ingenuè: nullo enim modo ratio sive intellectus noster comprehendere valet, quomodo unum trinum, & trinum unum esse queat; quomodo una numero essentia, in tribus numero distinctis personis consistere possit. Hac nostra sententia confirmatur, quia articulus de trinitate personarum in unitate essentia divina, purè est fidei: Ex sola enim revelatione habetur. Et Deus si se non ita in verbo suo revelasset, nunquam trinitatem personarum in una essentia crederemus. Hinc fit, quod nulli Ethnicorum etiam saniorum, quicquam hac de re in mentem venerit: Multi quidem agnovere Deum unum: sed hunc unum, in personis esse trinum, nemo agnovit.

Theorema VI.

Deus est simplicissimus.

I. Integram debemus dare, & perfectam Dei definitionem, sed qui possumus? Non potest mens humana angusta nimis, immensam & indeterminatam Dei essentiam complecti. Causa huius difficultatis potest duplex dari, quarum prior sumitur ex Dei infinitate. Quia enim Deus infinitus est, intellectus vero noster finitus, nulla potest esse inter hunc & illum proportio. Difficultas cognitionis, inquit Scaliger exer. 359. sect. 12. duabus potissimum de causis evenit. Aut enim quia res, qua de agitur, excedit suam magnitudinem; sicuti cœlum unico obtutu videri non potest universum: Aut quia fugit suam exiguitatem: veluti motus latent sensibus nostris, ob minutiora momenta. Iccirco Deus propter immensitatem luce suam obruit aciem humani intellectus. Materia prima tota fugit mentis nostrae captum sua obscuritate, atque humilitate. Posterior petitur ex absolutissima simplicitate divina, quam intellectus noster assequi haud valet. Licet vero perfectè scire non possimus quid sit Deus: aliquid tamen Dei cognitionis ex attri-

attributis, qua Philosophi saniores ipsi attribuerunt habere possumus. Ea vero ordine investigabimus.

II. Primò vero simplicissimus dicitur Deus. Est enim in ipso abstractum & concretum unum & idem: sive itaq; Deum simplicem in concreto, sive ipsam simplicitatem in abstracto dicat, rectè dicis. Summè verò simplicem esse Deum probatur, quia omnis simpliciter compositionis est expers: destituitur enim & compositione propriè sic dictâ, & analogicâ. Solus Deus simplex est, in quo nihil in potentia, sed in actu omnia: imò ipse purus, primus, medius, ultimus actus. Scalig: exerc. 6. sect. 2.

Theorema VII.

Deus est immutabilis.

Fluit theorema hoc ex præcedenti. Si enim Deus simplicissimus est, necessariò etiam immutabilis erit. Simplicitas enim causa est immutabilitatis, quemadmodum compositio mutabilitatis. Deinde excludit quoq; Deus omnem potentiam passivam: hæc autem ubi non est, ibi quoq; mutationi non datur locus. Porro nihil datur Deo prius aut fortius. Igitur à nemine mutationem in se recipere potest. Si deniq; mutationi esset obnoxius Deus, mutaretur vel in melius, vel in pejus, At in melius mutari non potest, quia est optimus: neq; in pejus, quia sic desinere esse Deus: Deus enim semper bonus est.

Theorema VIII.

Deus est perfectissimus.

Simpliciter immutabile quod est, nonnè perfectissimum est? Quid est, quod Dei perfectionem limitare ac definire possit? Est Deus à seipso, & à nullo alio in & à se habet perfectionem: omne vero Ens creatum, ab ipso. Is vero perfectissimus, qui rebus perfectis omnibus perfectionem largitur, ipse vero à nullo recipit. Deinde quò quid est simplicius, eò quoq; perfectius est, cum simplicitas

plicitas & perfectio pari passu ambulare videantur. Deum itaque
quia est simplicissimus, perfectissimus quoque erit.

Theorema IX.

Deus est summè necessarius.

I. Non potest Deus aliter esse, quam est. Ergo necessarius. Con-
tingens vero si esset, mutari posset: quia contingentia aliquam mu-
tabilitatem involvit. Contingens enim quod est, illud esse, & non
esse potest. Deus neque mutari, neque non esse potest. Το πρώτον
καὶ δεύτερον ἀναγκαῖον τὸ ἀπὸ αὐτοῦ εἶναι. τὸ δὲ ἄλλο ἐνδέχεται
παρὰ τὸ αὐτὸ εἶναι, ὡς εἰδὲ ἄλλως καὶ ἄλλως, ἢ δὴ τὸ παρὰ τὸ αὐτὸ εἶναι
ἂν ἔχοι. Arist. lib. 5. Met. c. 5.

II. Non autem propterea, quod necessarius sit, omnia necessa-
rio agit, quia differunt esse necessarium, & necessario agere: Il-
lud enim essentiam respicit: hoc vero operationes, & quidem ex-
ternas. Nam non necessario, sed liberè Deus produxit mundum.
Est itaque Deus Ens quidem necessarium, sed agens liberrimum.

Theorema X.

Deus est infinitus.

A nullo enim alio dependet, sed omne ab ipso. A nullo autem
quod dependet, à nullo terminari potest. Omnis tam princi-
pij, quam finis est expers: à nullo igitur finiri potest. Et quibus
concludi poterit Deus terminis, cum sit ubique, & extra mundum,
& in mundo, modo incomprehensibili, à nullo loco exclusus, in-
nullo tamen inclusus. Nihil est quod ipsius conspectum fugere
possit. Et quia perfectitudinem summam in theor. 8. Deo tri-
buimus, etiam infinitatem ipsi tribuere nos oportebit, quippe qua
nihil aliud est, quam absolutissima perfectio. Hinc fit, quod quo
quicquam propius ad Ens infinitum accedit, eò sit perfectius, quò
vero ab eodem remotius recedit, eò imperfectius.

B

Theo-

Theorema XI.

Deus est æternus.

- I. Si enim est infinitus, utiq; æternus erit. Ex infinitate enim rectè æternitas infertur: & contrà. Est Deus Ens simpliciter primum. Ergo æternum: quia primo nihil datur prius. Neg; enim unquam cœpit, neg; unquam desinit esse, sed idem semper permanet cum absolutissima necessitate. Hinc rectè Scaliger æternitatem ipsummet Deum esse, asserit, exer. 359. sect. 7.
- II. Non leviter itaq; hallucinatur Philosophus, quando mundum æternum statuit. Si enim mundus æternus est, erit infinitus. Si infinitus, erit ipse Deus, quod absurdum. Velnè duo æterna, duo infinita, duo prima? ἀτοκῶν. Non autem ejus, quod deliquit Philosophus, ipsa Philosophia insimulanda est, quia potuit & ipse Philosophiâ abuti. Imò sibiipsi contrarius est Philosophus. Non enim vult mundum esse à seipso, sed eundem ab alio, à Deo videlicet, esse fatetur, dum multis in locis Deum omnium rerum primum principium & causam proclamât. Dicat ergo nobis divine Philosophe, quomodo id, quod est ab alio, quod sua existentia habet causam & principium, æternum esse queat? annon contradictio aperta est, asserere quippiam æternum esse, & tamen ab alio, tanquam à causa efficiente dependere? certum itaq; est, etiam ex ratione, mundum ab æterno non fuisse.

Theorema XII.

Deus est omnipotens.

- I. Quia enim essentia Dei infinita est, ut probatum theor. 10. etiam ejus potentia infinita erit, propter summam scilicet τὴν ἰστέντην essentia & potentia divina. Quantum enim est id, per quod aliquid agit, tanta est ejus potentia ad agendum. Deinde nonnè Deus summè est, & absolutissimè perfectus? hoc, theor. 8. demonstratum est. Si itaq; in Deum nulla cadit imperfectio, omni de-

situetur impotentiâ, quia omnis limitatio inferens secum impotentiam denotat imperfectionem ex parte agentis. Et quid quæso reperiri potest, quod potentia divina subjectum non sit? Quicquid potentia est in inferioribus, id longè sublimiori & excellentiori gradu est in Deo, secundum tritum illud: Quicquid possunt efficere causæ secunda à prima adjuncta, id sola causa prima sua vi efficere potest. Hinc Philosophus etiam lib. 8. Phys. infinita virtutis & potentia primum motorem esse demonstravit. Et Cicero lib. 3. de natura Deorum, inquit: Nihil est, quod Deus efficere non possit, & quidem sine labore ullo.

II. Dicis, non posse Deum peccare, mori, factum infectum reddere, opus aliquod infinitum producere. Bene est. Infers; Ergo impotens est Deus. Inferimus nos? Ergo potens est. Tantum enim abest, ut instantia data potentiam divinam infirment, ut potius eandem validissimè propugnent. Non potest Deus peccare vel mori. Ergo non potest ea, quæ sunt infirmitatis: quia peccare posse, mori posse, infirmitatis sunt, non virtutis, aut majestatis. Si itaq; Deus non ea potest, quæ infirmitatis sunt, nonnè erit potentissimus? Si infirmitatem & impotentiam à Deo removes, nonnè virtutem & potentiam ipsi tribuis? Ea itaq; quacung; Deo impossibilia dicuntur, potentissima esse asserimus. Quid enim potentius, quàm nescire, quicquid infirmitatis est. Non potest Deus factum infectum reddere. Ergo non potest ea, quæ implicant contradictionem. Hocnè impotentia? Certè quia duo contradictoria simul vera esse non possunt, non sunt divina perfectioni & potentia subijcienda, aliàs enim falsitas & mendacium ipsi tribueretur, quæ non potentiam, sed impotentiam potius arguunt. Non potest Deus opus aliquod infinitum producere, quia semetipsum non potest destruere. Duo enim infinita esse non possunt, & si essent, neutrum esset infinitum. Dico tibi, inquit Scaliger exerc. 249. sect. 3. Cum rei, perfectæ ac infinita sua potentia perfectione, quippiam perfectionis adjunxerit Deus, standum esse illi

illi aliquando, & ab operis illius auctione cessandum. Non enim potest ipse facere Ens essentiâ infinitum: faceret enim alium Deum. Quare dicendum est: Deum quidem posse semper aliquid melius: rem autem ipsam non posse suscipere illam infinitatem.

Theorema XIII.

Attributa Dei, ab ipsa essentia Dei non differunt.

Pulchrè Scaliger exer. 305. sect. 6. Deus neq; Ens est, sed essentia: neq; bonus, sed bonitas: neq; sapiens, sed sapientia: neq; omnipotens, sed omnipotentia, qua ita in ipso sunt, ut sint ipsum: ita insunt, ut nihil antecedit, nihil subsequatur. Quibus verbis innuit, nullum inter attributa Dei, & ejus essentiam discrimen intercedere, qua sententia probatur: quia abstractum & concretum in Deo sunt unum & idem, propter summam scilicet Dei simplicitatem, qua omnem compositionem, atq; sic omne discrimen, quod ex compositione oritur, respuit. Hinc colligitur, quòd nec ipsa inter se differant attributa divina: Qua enim in uno tertio conveniunt inter se conveniunt. Hoc autem intellectum volumus, de attributis quatenus intra divinam essentiam considerantur. Nam quatenus foràs sese exerunt, distinctionem admittunt, quam vocant virtuales. Sic Deus omnipotentia sua, non justiciâ dicitur produxisse mundum: similiter justiciâ suâ, non misericordiâ damnare impium.

COROLLARIA.

I.


An Ethnici ex noticia Dei naturali fuerint salvati? N.


II.

An creare sit solius Dei proprium? A.

III.

An præscientia Dei sit causa præscitorum? N.





306. sect. 20. in hac verba erumpens: Omne quod est, a primo principio, aut à primo principio. Unalia dependent igitur. Ergo suâ naturâ omnia corruptibilia. Est itaq; spiritus corruptibilis: & natura: nunquam vero corrumpitur: & nunquam immortalitate Deo ipsum donavit.

Theorema II.

Spiritus est vel Angelus, rationalis.

Legitimam hanc esse spiritus divisionem, concedere licet. Nam 1. Angelus tantum, & animalia existunt. 2. immortalitate fruuntur. 3. per se existunt. Ergo etiam tantum spiritus existunt.


Theorema III.

Angelus est spiritus, qui per se existit, sed semper extra corpus.

I. Dicimus Angelum per se nunquam in corpore existere, sed per accidens tamen id fieri posse, concedimus. quando corpora assumere, ut appareant hominibus. Et testatur Scaliger, Angelos ipsos sibi corpore existere. 359. sect. 13. Verum quia hujuscemodi corpora non sunt, & natura eorum non est, corporibus reformare, merito per se ab omni corporis unione separantur.

II. Sunt vero Angeli in duplici differentia: quidam mali. Malitiam intelligimus, sed moralem. Diabolus enim ratione esse bonus, ac Angelus bonus. Quia 1. est Ens. 2. bonum: quia bonum cum Ente convertitur. Quicquid autem à Deo creatum est, bonum est.

A 3



the scale towards document